



**S** Panthalus omni genere literarum atq; uitæ in  
 Innocentia inter Christianos Rheni ripam inco-  
 lentes conspicuus fuit. propterea cum uera Christi  
 doctrina passim in Gallia radices agere cœpisset,  
 ipse quoque Rauracorum præsul Basileæ à Bizon-  
 tina Ecclesia ordinatus est. Erat enim tum eo lo-  
 co Rheni traiectus, adeò ut multi Germanorum  
 & Gallorum ibidem confluerent, atque paulatim  
 ex ruinis Augustæ Rauracorum Basileam, urbem  
 construerent, & multis ædificijs ampliarent. Ita-  
 que Panthalus magno zelo ibidem Christum do-  
 cuit, atque Ecclesiam iam prius cœptam in uera  
 religione sua prædicatione confirmauit: id quod

factum est anno Christi ducentesimo tricesimo quinto.